Quelle: http://manuscripta.at/?ID=39279
Copyright: Kremsmünster, Benediktinerstift



Stulti propter viam iniquitatis suae et
propter iniquitates suas humiliati sunt.
Omnem escam abhorruerunt
et appropinquaverunt usque ad portas mortis.
Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur
et de necessitatibus eorum liberavit eos.
Misit verbum suum et sanavit eos
et eripuit eos de interitionibus eorum.
Confitebuntur Domino misericordiae eius
et mirabilia eius filiis hominum.
Et sacrificent sacrificium laudis
et narrent opera eius in exultatione.
Qui descendunt mare in navibus
facientes operationem in aquis multis.
Ipsi viderunt opera Domini
et mirabilia eius in profundo maris.
Dixit enim et stare fecit spiritum procellae
et exaltatus sunt fluctus eius.
Ascendunt usque ad caelum et descendunt usque ad abyssos
anima eorum in malis tabescebat.
Turbati sunt et commoti sicut ebrius
et omnis sapientia eorum devorata est.
Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur
et de necessitatibus eorum eripuit eos.
Et statuit procellam eius in auram
et siluerunt fluctus eius.
Laetati sunt quia conticuerunt
et deduxit eos in portum voluntatis eorum.
Confitebuntur Domino misericordiae eius
et mirabilia eius filiis hominum.
Et exaltent eum in ecclesia plebis
et in cathedra seniorum laudent eum.
Ponit flumina in desertum
et exitus aquarum in sitim.
Terram fructiferam in salsugines
a malitia habitantium in ea.
Ponit desertum in stagna aquarum
et terram sitientem in rivos aquarum.
Et collocavit ibi esurientes
et fecerunt civitatem habitationis.
Et seminaverunt agros
et plantaverunt vineas
et fecerunt fructum nativitatis.
Et benedicit eis et multiplicatus sunt nimis
et pecora eorum non minuit.
Et minoratus sunt et vexatus
a malitia et dolore.
Effundit contemptionem super principes
et errare fecit eos in invio et non in via.
Et adiutus est pauper de inopia
et posuit sicut oves familias.
Videbunt recti et laetabuntur
et omnis iniquitas oppilabit os suum.
Quis sapiens et custodiet haec
et intellegent misericordias Domini.
Paratum cor meum Deus
paratum cor meum
cantabo et psallam in gloria mea.
Exsurge psalterium et cithara
exsurgam diluculo.
Confitebor tibi in populis Domine
et psallam tibi in nationibus.
Quoniam magnificata est usque ad caelum misericordia tua
et usque ad nubes veritas tua.
Exaltare super caelos Deus
et super omnem terram gloria tua.
Ut liberentur dilecti tui
salvum fac dextera tua et exaudi me.
Deus locutus est in sanctuario suo
laetabor et dividam Sichimam
et convallem tabernaculorum metiar.
Meus est Galaad et meus est Manasse
et Ephraim fortitudo capitis mei.
Iudas rex meus
Moab lebes spei meae.
In Idumeam extendam calceamentum meum
mihi alienigenae subditi sunt.
Quis deducit me in civitatem munitam
quis tradit me usque in Idumeam.
Nonne tu Deus qui abiecisti nos
et non egredieris Deus in virtutibus nostris.
Da nobis auxilium de tribulatione
quia vana salus hominis.
In Deo faciemus virtutem
et ipse nos conculcabit inimicos nostros.